

Augustus Varenius, D. Consistorii Sereniss. Ducum Assessor ... ad exequias Exanimo corpori ... Dn. Sigwert von Bibow/ Equitis Meclenburgici, Domini in Westenbrück ... Omnes omnium ordinu[m] Cives Academicos ... invitat : [P.P. Rostoch. Sub Sigillo Rectoratus d. XIX. Iunii CI IC LXXIIX.]

Rostochii: Keilenbergius, [1678]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746813708>


Druck Freier  Zugang




Varenius, A.,
in S.v.Bibow.

R. 1678.







87.
AUGUSTUS VARENIUS, D.

Consistorij Sereniss. Ducum Assessor; Collegij
Theologici Senior, Acad. Rostoch. h. t. **RECTOR**
ad exequias

Ex animo corpori
Perillustris, & Generosissimi Herois, a
DOMINI

DN. S. A. WERT
von **B. A. B. W.**



Equitis Mekleburgici, Domini in Westenbrück etc.
S. Reg. Majest. Dan. & Norvveg. exercituum Ductoris fortissimi,
militariæq; pedestris Tribuni generalis magnanimi, ex duplicato
vulnere, in obsidione Anconitanâ Scaniae, accepto d. XXV. Jun.
anno cto 100 LXXVII.

In castrensi suo κατὰ μολιναρίαν piè fortiterq; defuncti
tertio ab Urbe lapide in fundo hereditario ad ornandas
Solemni processione & funeris illustris deductione, ad portam
usq; Occidentalem, Cröpelinensem quam vocant, à nostro quoq;
ACADEMICORUM ordine honorandas

Omnes omnium ordinū Cives Academicos suis digna-
tionibus & virtutibus fulgidissimos,
eâ, quâ fas est, autoritate & humanitate invitat.

JOB I IX, 25. 26.

Meine Tage sind schneller gewesen/ denn ein **LAUSZEN** / sie sind ge-
flogen/ und haben nichts guts erlebet/

Sie sind vergangen wie die **STÄRKEN** **SEHITZE** /
wie ein **ADER** flucht zur Speise.

ROSTOCHII, Prelo **FRIDERICI KEILENBERGII**, Acad. Typogr.

60



Celebratum olim Apolloniæ ad
Laum, Corinthiorum & Corcyraorum
Coloniam, Legibus, literarum, & humanitatis
studiis verius, quàm Satyro à Syllâ isthic post
bellum Mitridaticum capto, inclytæ quon-
dam Reip. & summo dein Cæsarum studiorû causâ infessa Aca-
demia, in Nymphæo, Oraculum, Dio refert, quod, cum de ceteris
rebus omnibus futura consulentibus certiore eventu responde-
rit, de *sola morte*, consuli se prohibuerit, sive quod ejusdem, ut ut
certissimæ horam tempusve revelare non potuerit, sive, quia, ne
cuipiã illa constaret, intererat, noluerit. Quod si divina ipsius S.
SPIRITUS oracula consulamus, cetera quidem, quæ sive ad hanc,
sive veram illam, quæ non nisi in cælis datur, vitã, attinet cogno-
scere, quæq; propter illam sive aversari mortales decet, sive de-
ligere, cumulatissimè in illis revelata, consignatave, ac inculcatã
toties claudendæ mortalis hujus vitæ necessitatem, & (nisi an-
tevertit *exultationem*, gloriosa stolæ immortalitatis *superinductio*)
inevitabilem certissimamq; mortis certitudinem, animadverti-
mus: novissimum autem vitæ hujus eaducæ terminû, ipsumq;
mortis genus, vel modum in certissimo illo incertissimû, solisq;
arcanis cœlestibus Providentiæ divinæ, nuspiã, circa nostra, æ quæ
ac circa illa, occultioris & admirabilioris, unã cum jure ordinan-
di, & terminos vitales, nunc ex gratiã, nunc ex ultrice justitiã, si-
ve ex-

ve extendendi, siue contrahendi, vel abrumpendi, reservatum, & cum per luculentas Scripturæ sententiâs, tum per singularia Providentiæ, circa nunc dilatas, nunc festinatas mortes, extraordinariè sæpè disponentis exempla (conf. 1. Sam. IV, 18. 20. 1. Reg. XIV, 12. 13. 2. Reg. c. XXIII, 29. Jerem. XXIX, 16. Ezech. XI, 1. 13. c. XXIV, 18. Luc. XIII, 1. 4.) reverenter submittendum deprehendimus illi, *cujus visitatio conservat Spiritum nostrum* Job. X, 12. Atq; inde, quod non solum super admirandis ætatis annorumvè determinationis, æqvè ac arcanis sua in utero materno formationis Conditorum Deum David celebret Ps. CXXXIX, 14. 15. 16. sed & alibi Ps. XXXIX, 5. 7. in ardentissimas illas sese effundat preces: *Fac, ò Jehova, ut mediter finem meum, mensuram dierum meorum, quantum sit. Profecto in imagine ambulat Vir, in vanum perstrepat, Congregat quis: sed nescit, quis ea sit recepturus.* Igitur, numerare dies nostros accuratè, vel sic doce nos, ut inducamus animum sapientem Ps. XC, 12. Inde illa in canonicis Salomonis, ipsaq; Sapientiæ Scholâ, ad instar buccinæ personant epiphonemata sacra: *Ne gloriæris de die crastino, quia nescis, quid hac ipsa dies paritura sit* Prov. XXVII, 1. *Est enim dulcis hac lux, & gratum hisce oculis adspicere solem, tamen recordari oportet dies tenebrarum, multos esse illos, quicquid evenit, vanitatem esse.* Igitur recordare Creatoris tui diebus juventutis, antequam adveniant dies mali, & anni, quibus dicas: *non est mihi in illis delectatio* Eccl. c. XI, 7. 8. c. XII, 1. Voluit sc. supremum NUMEN, penes quod vitæ mortisq; nostræ arbitrium, sublimiori curâ, sapientiori; consilio nostra mortalium pericula occupare, pectoraq; nostra, circa arcanum illud curiosius haut investigandum, saluberrimis cœlestis Philosophiæ, quâ totâ vitâ, & rectè vivere nobis discendum est, & beatè mori, præceptis, sic informare, ne terminorum vitalium, siue à se absolutè siue ex causarum secundarum prævisione certo; sic ordine possitorum, planè certi, siue in ignobili inertia, ac servili parumq; profutura mortis formidatione, siue supinâ securitate tempora transigamus, & de portu, portave, quâ exeundum, quantumq; ne à viâ portave angustâ ad cælum ducente

cente, ad spatiosorem alteram, ad exitium abducentem, exorbitetur,
interfit, parum solliciti, & in tantâ temporum fugâ, securi, lentiq;
longam nobis annorû seriem, aut nunquam, aut serò nimis sapi-
entes, exporrigamus. Voluit supremi illius puncti incertos nos
esse, ut singulos dies supremos rati, singulos formidemus, & ubi
jam advenerit novissima vitæ dies, composito hanc, beneq; præ-
parato pectore excipiamus. Quod si enim ad levisim os pericu-
lorum insultus, vel vanos sæpe merus, adeo cauta mortalium
mens est, ut variis, & ingeniosis quoq; modis compendiisq; ex ar-
te illos declinare, vel, ne noceant, in tempore providere norit,
nunquam sanè, nostra adeo temeraria esse debebat mortalitas, ut
gravissimum novissimi hostis periculum, & illud, à quo æternitas
pendet, novissimum vitæ punctum, sive negligenter expectaret,
sive imparatâ mente admitteret. Neq; verò illud saltem in cer-
to incertum: sed & ipsam mortalis hujus vitæ fugacitatē, & etiâ
ubi splendidissimo hujus seculi pompæ, gloriæ vè fulgore, sese
ostendebat, *vanissimam vanitatem*, instabilemq; ac lubricam con-
ditionem, nobis mortem sæpè in conspectu non habentibus: sed
nostras spes procul intendentibus, peculiari quâdam commen-
tatione, luculentisq; caducorum vanitatumq; emblematis vo-
luit repræsentare, neq; alia id magis sine, quàm maturum illud
mortis & cœlestiû, velut in æternitatē exeuntium, & sic perennâ-
tium meditamentû, omni ætati, juvenili præsertim, quæ ab illâ
sibi videbatur remotior, commendandi, & supremum illud præ-
lium, impavido fortiq; magis pectore decertandi. Equidè pul-
cherrimum illud *Florum*, quos hætenus è cœli fatu gravida, ma-
gna Mater terra enititur, emblemata est. Quanta illi oculorum
philtrâ! Quàm supra basilicam Salomonis purpuram, sive *Rosa*,
florum Regina, in edito, prout Reginam decebat, throno collo-
cata, & spinarum undequaq; satellitio armata, sive *Lilia* venusta!
Quàm fragrantissima illorû (sive volentia) At, quântula, vel ipsa-
rum Rosarum liliorumve ætas est, quàmq; facilis acceleratusq;
illorum

illorum casus. Accinit ex illo florilegio David: *Hominiſ dies ſe-*
miles ſunt ſeno: Sicut FLOS agri, ſic flores. Quum ventus pervadit
 ipſum, *MOX NON EST, nec agnoſcit illum amplius locus ejus.* Pf. CIII,
 35. 16. 17. Concinit Jeſaias: *Omnis caro gramen, & omnis excellentia*
ejus eſt ſicut FLOS AGRI. Exareſcit gramen, DECIDIT FLOS, ſimul Spiri-
tus Domini, perflat ipſum Jeſ. XL, 6. 8. Præcinuit jam ante Sanctos
 hos Jobus, pari axiomate illud emblema pronuncians: *Homo na-*
vus muliere, brevis ætate, at ſatur eſt commotione, ut FLOS, ſimul ac
egreſſus eſt, ſucciditur: præciſi ſunt dies ejus, numerus menſium ejus pe-
nes Te eſt, terminos ejus feciſti, quos non transgredietur. Jobi XIV, 1.
 2. 5. Ceterum illud *Rosarum Liliorumve* venuſtum nimis ſu-
 perbumve emblema videri poterat, & Davidi de q̄uantitate dierum
 percontanti: *Quanti erunt dies ſervi tui.* Pf. CXIX, 84. ex ipſo Da-
 vide propiùs ad noſtram vanitatem accommodato emblemate
 reſpondere licebat; *Ecce Palmares ſ. PALMO non longiores diſpoſu-*
iſti dies meos Pf. XXXIX, 6. *Quantula autem palmi brevitatis eſt!*
 ſive ex Jobo, novum fugacis vitæ mortalis emblema ſuggerente:
Dies mei velociores fuerunt RADIO TEXTORIS. Imo VENTUS eſt vita
mea. c. VII, 8. ſive ex eodem ſummo in cinere Philoſopho pariter
 & Theologo, *vita illa pernicitatem, &* q̄vomoſo omnis nos hora
 per tacitos fallentesq; curſus ſato applicet, noſq; per exigua feſti-
 nantis ævi monumenta præmoriatur, triplici alio ex 3. *Elemen-*
tu emblemate typove delineare licebat vel exprimere. Quid in
 terrâ velocius *Curſore*, illis inprimis Perſarum Angaris, quos ho-
 die recepto vocabulo *Poſtas* appellam⁹, adeo ut ſi exactius ephē-
 merides curriculorum illorum ad calculos revocentur, unius
 anni ſpatio par terræ totius perimetro, miliariū numero, iter ab-
 ſolvant? Atq; de ſe Jobus: *Dies, inquit, mei velociores fuerunt*
CURSORE, auſugerunt, non ſunt experti bonum. Quid in Aqua ocea-
 nove Valliſſimo, *Navi bona*, gubernaculo parente, & ventis con-
 ſentiente, celere magis? adeo, ut ſi conſtans daretur & ubiq; pro-
 ſperrima, citra breviam & Syrtes, velificatio, venti; à puppe ferē-
 tes,

tes, intra unius anni spatium aliquoties circumnavigare liceat
 terrarum orbem? Sed & navium talium pernicitati non cedit
 vitæ mortalis fugacitas, unde mox additum Jobo illud: *Dies mei*
 חלפין עם אנוות אכה, quod quidem pulcherrimè Chaldaeus & con-
 sonanter literæ expressit: *חלפין עם אלפי ארטעונוין מגרוי* s. e. *per-*
transierunt sicut naves onusta rebus desiderabilibus & pretiosis, quas
inter, cum & mala s. poma delicata referre liceat, Vulgatus avind-
χινωσ reddidit: Pertransierunt quasi naves poma portantes. Quia autè
 quantum pretiosior asportatur in navibus merx, tantò & illæ magis
 appetunt portum, & in hoc magis appetuntur, tantoq; magis: &
 optumæ velificationis navis illis exportadis deligitur, & ipse per
 medium profundū cursus vehementius acceleratur, hinc rectè
 quoq; Jun. & Trem. sensum expresserunt, per *naves celeres*, quate-
 nus hæ *celerissima*, ut tamen necesse haut sit, Rhodiam Liburnæve
 s. *navem minorem* intelligere, cum & *maiores* dentur, sic satis, ubi
 ventis urgentur turgida vela, validâ celeritate perambulantes
 semitas maris, quomodo rectè noster Lutherus transtulit: *Wie*
die starcken (im Meer schnell dahin lauffende) Schiffe. Quid deniq;
in aere perniciosus Aquilâ, quæ cum ceteroqvi & altissimo & con-
contentissimo volatu sese commendet, nunquam tamen accelera-
tum magis hunc exerit, quàm, ubi, sive visu, quo perspicacis-
ima, sive odoratu, quo est sagacissima (quod intervallo ferè 700.
milliarium fieri, ornithologi, quos inter celebre Aldrovandi no-
men, asserunt) eadavera persequitur, ut adeo pernicitatem mor-
talis vitæ non potuerit accommodatiori ex alto emblemate re-
presentare, quàm AQVILÆ, quæ fame stimulara, latè explicatis
alis, contentissimo corporis nisu, nõ tam volat, quàm ruit in ca-
daver! Atq; inde illud Jobi: Dies mei velociores fuerunt, & transme-
arunt, sicut AQVILA involans in escam. Verùm & hoc Aquila subli-
me nimis, pro nostræ vanitatis modulo videri nomen poterat.
 Igitur nec hic in describendâ illâ consistit S. Spiritus. Audiatur
 David, etsi ad septuagenarium proventus, etsi Rex, Bellator, Tri-
 umphator incomparabilis, magnificentissimiq; regni, pacatis
 undi-

undiquaq; hostibus sibiq; subjectis, infessor gloriosissimus. Quid verò ille, supremum gloriæ felicitatisq; mortalis fastigium adeptus, de se suâq; & multò magis communi aliorum mortaliũ vitâ professus? *Velut UMBRA*, inquit, *sunt dies nostræ super terram quæ non consistit* 1. Chr. XXIX, 11. & *Pf. CII, 4. Dies, inquit, mei consumuntur ut fumus, sunt similes UMBRÆ inclinata: exaresco sicut herba*, quivantus Rex, alibi, omne illud, quod orbis mortale admiratur & veneratur, quod usq; adeo, ut etiam aciem oculorum perstringat, radios suos hic & vel in oras longè distitas ejaculatur, quod tantis honoribus dominatur, quod tantis divitiis splendet, quod tantâ sapientiâ præfulget, quod tantas curas gerit, quod tot laboribus defungitur, quod ambitiosis honorum monumentis extollitur, quod tot præclarè togâ, sagoq; gestorum laude celebratur, quod tantis vitæ muniis occupatur, fatigaturq; (consonanter Filio, *vanitatis vanissima Ecclesiaste* magnificentissimo Eccl. I, 2. c. XII, 8.) *ipsâ vanitate vanius* & *NIHIL* pronunciat Psalm. XXXIX, 6. LXII, 10. Audiatur ex N. T. Jacobus Apostolus: *Quæ, inquit, est vita vestra? VAPOR est, ad exiguum tempus apparens, & deinde disprens.* c. IV, 15. Excutiant mentem, quot quot mortalitatis imminentisvè sibi mortis obliti, æternos vitæ mortalis annos ordinant, qui sibi ipsis longæ beatissimæq; in terris vitæ prædes sva viter efformant, & in hoc puncto momentove, quod tamen, ubi tenetur, cum morte dividitur, lentè revolubilè Platonis annum, & cornicum vel Phœnicis quoq; ætatem somniant, videant, quid cum *Flore caduco, palmo, Textoris radio, vento, Angara, navi, Aquilâ*, vel propius cum *umbrâ, fumo, vapore, sibi commune!* *Quis umbra, fumo, vento, quis vanitati, & vel ipsi Nihilo credat, ac longi successus spem addicat?* Falsa omnia mortalia vota, & trepida gaudia sunt, ac variis terroribus inquieta, eademq; sæpe, quâ oriuntur, vanitate turbantur. Quicquid honorum, opum, voluptatum, deliciarum, seculum attollit, mox evanescit, quicquid

aut

aut decretis ambitio imponit, aut operibus stupendis ex-
eruit, citò subruitur. Nihil non eadem aetas demolitur.
Nulli fortunæ minùs benè creditur, quàm, ubi apparebat,
Optimæ. Hoc ergo quisquis seriâ secum reputatione con-
siderat, nã is illud: *Hec quàm diu?* sibi ipsi, etiam in ipso
currentis honoris & felicitatis impetu acclamabit, ac gra-
vissimum novissimi hostis periculum non segniter expecta-
bit, quin quod multi sive negligunt, sive ad prisca illius Sina-
rum Regis Vitei aetatem, differunt, præsens semper mortis
punctum mente usurpabit, & à Vano hoc, à caduco tem-
poris transitu, in illa, quæ vera, quæ aeterna, in cœlo servan-
tur, gaudia, toto se animo dabit, illorum quæ à tergo sunt obli-
tus, ad illa verò quæ à fronte sunt, ad illud superna vocationis
brabejum, ad Amarantium illam cœlestem, ad illam, inquam, ju-
stitiæ Coronam, quam in novissima die Dominus, justus ille Index,
reddet omnibus, illustrem ipsius adventum experientibus, intentus
(Phil. III, 14. 2. Tim. IV, 8. 1. Pet. I, 3. 4. Et illam fuga-
cissimam vitæ mortalis, etiam ubi inusitato fulgore
sele insinuat, vanitatem, sicut probè omni vitæ tem-
pore cognovit: ita, ut novissimum illud cum ulti-
mo hoste MORTE, certamen, prout magnanimum,
& enchiridio S. Spiritus (Ephes. VI, 17.) armatum,
Christianum Militem decebat, impavido fortiq; pe-
ctore decertaret, testaturus fidem se & bonam con-
scientiam reinuisse, exactè egit, Perillustris & Ge-
nerosissimus DOMINUS, DN. **SIGBERT** von
BIBOW / Eqves Mekleburg. Dominus in Westens-
brüff / Sereniss. Reg. Majest. Daniæ & Norwegiæ,
cohortium pedestrium Ductor, supremusye Tribu-
nus,

nus, ex ordine *Majorum*, *Generalem* quem vocant;
fortissimus. Natus ille anno hujus seculi XXXIX.
mense Junio, Parentibus Generosis, HEIDERI-
CO à BIBOW, Hereditario Domino in *Wesien-*
brüß / & SOPHIA ab *Derben* / per quos quomo-
do in vetustâ celebrataqve BIBOWIORUM &
OERZIORUM Nobiliss. familiâ, tot fulgidissi-
morum ex primariâ Nobilitate *Mekleburg*. stemma-
tum Sangvis in *Victoriosum*, *Victoria* sanè laude
dignum, SIGEWERTUM influxerit, quomodo
adeo longos, *Avorum*, *Proavorum*, *Abavorum*,
Atavorum, *Tritavorum*, & plus ultra *Majorum* utri-
usque sexus & stemmatis duxerit Ordines (quos ope-
rosè huc transferbere, superior illis *Lineis Virtus*
& gloria functi partim, partim quoque ipsa tempo-
ris ratio prohibuit) operosè commemorare superva-
caneum fuerit. Renato, ex quo in fonte sacro *Chri-*
sti militiæ nomen dedit, à puero sub *Prænobilissimo-*
rum Parentum oculo, ad fidei *Christianæ Tyroci-*
nia, ad pietatis, aliarumque *Virtutum*, quæ *Nobi-*
lem Christianum decorant, doctrinæque, quæ *puer-*
ritiam decent, studia, non exemplis minùs, quam
præceptis jam conformato, aulica initio conditio,
quam inter *Nobiles aulicos Illustriss. Comit. Olden-*
burg. beatiss. memor. pari facilitate impetravit, ac
laude sustinuit, illi delecta, inde bellica, in quâ pro-
ut *Sub Reg. Majestat. Dan. & Norweg.* signis mi-
litanti

B

litanti

tanti jam antea dignitas inchoata : ita, quum sub Se-
renitate *Electoralis Bavaria*, & *Principali eademq; Epi-
scopali Monasteriensi* aucta, inter delectas quoque
ante annos XIV. ex hac Provincia centurias & tur-
mas ac horum Ductores in bello AntiSaraceno, a
SIGISWERTO hoc Mekleburgico multâ virtute
prudentiqve consilio bellico esset firmata, sub auspi-
ciis *Reg. Maj. Dania*, ut, ubi coeperat, ibi consumata sta-
ret, & ab ipso in terris sine, gloriosior in caelo incho-
aret, longius & eousq; est provectora, ut illa *Generalis
Tribuni s. Majoris*, quam vocant, *in peditatu Regio Da-
nico*, ipsi dignatio splendidissima in castris deferretur,
ac assignaretur, velut debita meritis, vigore animi, rerû
bellicarû capacissimi, peritissimi fortissimiq; belli Du-
cis, qui militavit, dum militavit, fortiter, & in alis præ-
liis, tum in bello Turcico, velut gladius Delphicus,
sciderit & pupugerit, usq; dum anno superiore *mense
Junio*, ubi in oppugnatione *Anconæ Scaniae vel Mal-
mogiae, Maritimæ ad fretum Oresundicum*, ex ad-
verso *Regiæ Hafniæ*, situs oportunitate, mercimo-
niorumqve frequentia & arce munitissimâ insignis
urbis, inter tot cadentes Heroas etiam Functus nunc
SIGEWERTUS, spicula & missilia mortis excep-
pit, ac in ipsâ irruptione lethaliter vulneratus, in-
tercedente aliquot horarum intervallo, devotissi-
mæ pœnitentiæ, cui post hanc vitam nullus locus est,
novissimæqve ad mortem beatam compositioni,
dato,


dato, in suo κοσμοκλιταρίω vel honoris, quem sic appel-
lant, lectulo militari occidit, occidit, & post tot de-
cumanos belli fluctus conversasque in se tempesta-
tes bellicas, ac densos missilium nimbos, in portum, ad
tutiora, ad tranquilliora, ad augustiora, ad Domini
sui gaudia, fide *Victor mundi*, intravit. Magnus olim
Græciæ terror: sed eventu miserrimus XERXES, cum in-
solentissimus per magna camporum spatia immanem illum
exercitum flumina epotantem, montes planantem, maria
flagellantem porrigeret, nec numerum ejus: sed mensuram
(per dena millia distributi, circumsepriqve) comprehen-
deret, lacrymas fuisse tertur, quod intra C. annos nemo
ex tantâ juventute superfuturus esset: Atque Centum an-
nis & seris obscurisqve mortium causis descendis opus haur
erat. Ipse, qui tunc flebat, inter 100. ferè dies illis fatum ad-
moturus erat, perditurus alios in *Thermopylis*, plures inde ad
Salamina, plurimos cum Mardonio ad *Platzas*, & intra tempus
exiguum consumiturus illos, quibus centesimum annum
præclusum iri flebat, quin ipse vix cymbâ piscatoriâ evasur-
us, inque suam Persiam palans trepidusqve reversurus.
Et hoc quoque manifesta vanitatis confessio est, potenti-
am suam flere, sic ut magis venturus aliquando finis exter-
reat, quàm presentis fortunæ magnitudo delectet. Uti-
nam autem, ubi adeo in propinquo calamitas, *Caput nostrum*
in aquas & oculus noster in scaturiginem resolveretur lachry-
marum, ad descendos interdum & noctu confossos in populo Chri-
stiano, illo inprimis, sub Aquilone nunc diviso. Heroum ce-
teroqvi funeri (ubi beatâ morte vel in ipsis castris præve-
runt, & cum Latrone Theologo in Paradisum intraverunt, il-
lacrymandum non est: sed de palmis cœlestibus gratulan-
dum.


dum, qui si tales sint, qualis ille in Evangelio Centurio Capernaumi, vel par illi Cornelius, in Actis Apostolorum, cum Abrahamo Isaaco, Jacobo discumbent in regno coelorum. Quod superest, ut GENEROSISSIMI DOMINI BIBOVII mense *Junio* nati, renati, denati, eodemque nunc efferendi, solemnibus exequiis, deductione & comitatu funeris adusque occidentalem urbis portam, universus Ordo Academicus, prothymiam honorificam praesentiamque accommodet, Illustri Ductori supremum humanitatis officium sic persolaturus, & Generosae familiae Majoribusque affectum studiumque restaturus, eam, quam fas est, autoritate, ac humanitate contendimus.


P. P. Rostoch. Sub Sigillo Rectoratus d. XIX. Junij
CIC IDC LXXIX.

Conventus fiet in aede S. Mariae hora med. i. pomerid.









dato, in suo κοσμοκλιναρίω vel honoris
lant, lectulo militari occidit, occidit
cumanos belli fluctus conversasque
tes bellicas, ac densos missilium nim
rutiōra, ad tranquilliora, ad august
sui gaudia, fide *Victor mundi*, intrav
Graciae terror: sed eventu miserimus
solentissimus per magna camporum spa
exercitum flumina epotantem, montes
flagellantem porrigeret, nec numerum
(per dena millia distributi, circumsep
deret, lacrymas fuisse fertur, quod in
ex tantā juventute superfuturus esset:
nis & seris obscurisqve mortium causis
erat. Ipse, qui tunc flebat, inter 100. fe
moturus erat, perditurus alios in *Therm
Salamina*, plurimos cum Mardonio ad Pla
exiguū consumiturus illos, quibus c
præclusum iri flebat, quin ipse vix cym
rus, inque suam Persiam palans trepi
Et hoc quoque manifesta vanitatis co
am suam flere, sic ut magis venturus a
reat, quā presentis fortunæ magnit
nam autem, ubi adeo in propinquo cala
*in aquas & oculus noster in scaturiginem
marum, ad deflendos interdū & noctu col
stiano*, illo inprimis, sub Aquilone nunc e
teroqve funeri (ubi beatā morte vel in
runt, & cum *L. trone Theologo* in Paradi
lacrymandum non est: sed de palmis

appel
tor de
pesta
tum, ad
Domini
nus olim
cū in
m illum
, maria
ensuram
prehen
s nemo
tum an
us haut
atum ad
s inde ad
tempus
annum
ā evasu
versurus.
potentia
is exter
t. Uti
e nostrum
r lachry
ulo Chri
roum ce
s prave
runt, il
gratulan
dum.

